

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Poenitentia Et Reliqvis Sacramentis

Vindalium, 1646

Sect. II. An mendacium quodlibet in confessione sit mortale.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38867

SECTIO II.

*An mendacium quodlibet in confessione
sit mortale.*

CONCLVSIO.

Qui in confessione negat , se fecisse peccatum veniale quod fecit, aut affirmat se fecisse quod non fecit , non peccat mortaliter. Qui tamen negat se fecisse peccatum mortale quod fecit, aut affirmat se fecisse quod non fecit, peccat mortaliter.) Ratio primæ partis est, quia cùm nemo teneatur confiteri peccatum veniale , non peccat contra integratatem sacramenti , qui negat se illud fecisse; si enim omnia peccata mortalia manifestentur, confessio erit materialiter, & formaliter integra. Aliunde verò cùm res sit leuis, incredibile est tale mendacium constituere peccatum mortale. Etsi autem sit peccatum veniale , id non obstat effectui sacramenti , vt constat ex dictis de Eucharistia ; ac proinde ex eo capite non destruit veritatem formæ, quæ ad va- lorem sacramenti necessaria est.

Ratio secundæ est, quia cum tali mendacio stare potest, ut pœnitens omnia peccata mortalia confiteatur, quod sufficit ad valorem sacramenti, si aliundè necessaria adsint ut suppono. Nam quòd confessarium decipiat, ea deceptio est exigui momenti, cùm in peccata mortalia sententia validè proferri possit. Quòd etiam falsam materiam apponat, hoc non obstat quo minùs forma in veram materiam cadat; sicut forma consecrationis validè cadit in panem triticeum, cui aliquod granum milij, quod est materia falsa, appositum sit.

Si tamen pœnitens nullam aliam apponerebat materiam, præter illud peccatum veniale quod non fecit, peccaret mortaliter, & nullum esset sacramentum defectu materiæ, sicut peccaret mortaliter, & sacramentum non conficeret, qui verba consecrationis proferret supra panem hordeaceum.

Ratio tertiae partis est, quia ad integritatem confessionis, sine qua sacramentum valere nequit, spectat ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia, nunquam aliàs confessa, quorum habet conscientiam. Ergo vnum ex illis scienter, & sine rationabili causa omittens, peccat mortaliter, & nullum est sacramentum.

DE POENITENTIA. CAP. IV. 43.

Ratio, vltimæ partis est, quia sibi falso tribuens in confessione, peccatum mortale quod non fecit, Sacerdorem decipit in re graui, pertinente ad essentiam ipsius iudicij iudicat enim Sacerdos eum præcisè ratione peccati, quamvis aliorum ratio habenda non esset, esse inimicum Dei, item æternæ poenæ, hac vel illa curatione egere, ut ab eo peccato corrigatur tantam vel talem illi imponendam satisfactionem, ut pro ea culpa satisficiat, &c. quæ omnia falsa sunt. Quare cum hæc sint magni momenti, eiusmodi deceptio est peccatum mortale, & contra valorem sacramenti.

Quod intellige, per se loquendo: nam ex accidenti contingere potest, ut quis bona fide & inculpabiliter existimet, sibi utile esse ad maiorem gratiam consequendam, cum peccatis mortalibus commissis, alia nunquam patrata confiteri. In quo casu, cum illa deceptio excusetur à peccato mortali, nihil obstare potest quin sacramentum sit validum.